

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 14

Artikel: Hugonis Blotii epistola ad Io. Iacobum Frisium, [...], de caede fratris
Autor: Blotius, Hugo
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394646>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

HUGONIS BLOTII

(*) Epistola

ad

JO. JACOBUM FRISIUM,

S. Theol. Doctorem in Ecclesia Tigurina,

DE CAEDE FRATRIS.

S. P. **T**Ristem illum nuntium quem ad vos adfert *Wirtzius* affinis vester, hac epistola lenire & consolando mitigare studeam, nisi perspectam haberem tuum & fratrum superstitum prudentiam ad quemvis casum æquabiliter ferendum divinis & philosophicis præceptis eximie armatam. Ego quod mihi usu venit, tibi quoque doctissime FRISI, & Fratribus tuis usu venire persuasum habeo: Primum matrem carissimam adolescens, & mox patrem optimum amisi, inde fratrem unum, paulo post alterum, & denique, qui unus mihi restabat, tertium amisi; non quidem sine magno dolore parentes, at cum minori fratres. Didiceram enim jam ipsa experientia, quomodo in rebus humanis ludat & grassetur fortuna. Quotidie
R 2 adhuc

(*) Postquam superiore particula Hug. BLOTII Orationem in Hutterianos homicidas dedimus, non abs re visum est hic subungere ejusdem hanc Epistolam, qua historiam cædis HADRIANI FRISII, pluribus exponit, quamque acceptam ferimus liberalitati Viri Clarissimi J. JAC. HULDRICI, Prof. L. S. celeberrimi.

adhuc multa gravia experior , sed animus ad omnia incommoda ita callum obduxit , ut ego magis quodammodo fortunam , quam illa me , rideam : Animum enim semel induxi meum , quicquid tandem in hac inconstanti & miserabili vita acciderit , ita ferre quasi a Deo constitutum , sine peccato a me ægre ferri non debeat. Luctuosum quidem est HADRIANUM , tali ætate , tali loco , tam indigno pessimorum hominum flagitio e vivis esse sublatum ; sed luctuosius forsitan fuisset , si grandiore natu in patria ante ora vestra simile fatum oppressisset , & inspectantem suam carissimam matrem , doloris magnitudine deficientem , per suum miserandum casum vita privasset. Nunc vestrum erit matrem mortem filii celare , ut in illo errore non sibi inutili futuro semper maneat , ut existimet , illum adhuc nobiscum , aut in Italia , aut in Gallia versari. Historiam miserandæ optimi adolescentis cædis ad te perscriberem , nisi simul & dolor , & occupationum mearum concursus remoram mihi injiceret ; nisi etiam confiderem *Wirzium* ordine quæ audiverit hic atque viderit narraturum. Obiter tamen & carptim summa quæque rerum capita perstringam , idque rudi quadam Minerva. Non enim licet mihi hoc tempore vel tantulum quidem quid scribam meditari , sed raptim inter medios hospitum meorum (alo enim Comitem & Equitem Anglum , cum satis numerosa familia) strepitus omnia effundere , varius quam scribere. Sic itaque se res habet :

HADRIANUS FRISIUS cum a me in Collegium quoddam Viennense , quod Heidenheimense vocant , discessisset , paulo post ab *Joanne* EISLE-RO,

RO , arcis & oppiduli Wolcherstorfiani nunc Domino , in liberorum suorum Præceptorem est cooptatus , cum quo triennium & eo amplius vivens ita se gessit , ut plurimum ipsi laborandum fuerit , ut missionem impetraret. Senserat enim Eislerus , æque atque ego , summam *Hadriani* fidem , & diligentiam incredibilem , cum industria atque ingenio singulari conjunctam. Hisce commodis neque ego , neque Eislerus carere voluit : Ille itaque eum retinere , ego ipsum ad me retrahere studui.

Ego autem tandem victoria potitus , omnem ipsi in *Bibliothecam Cæsaream* potestatem feci : In qua ita versabatur , tantoque eam illustrandi studio flagrabat , ut si superstes mansisset , & institutum opus , quod & ad Cæsaris utilitatem , & ad meum commodum , & ad sui gloriam , & ad patriæ suæ & suorum voluptatem amplificandam magno erectoque animo aggressus erat , ad finem perducere potuisset , immortale plane nomen sibi comparasset. Contigit autem , ut cum nimio studio se fatigasset , & ab Eislero sæpius Wolcherstorfium invitatus esset , recreandi animi causa , eo proficisci volens (distat namque oppidulum illud tria ab Urbe Viennæ milliaria) sic diceret uxori meæ ; *Nescio quid mihi rei tristioris præagiat animus ; animo tranquillissimo pransus & cœnatus ad Bibliothecam ititare soleo : Nunc ne Bibliotheca quidem , cujus vel cogitatione recreari soleo , me oblectare potest. Mutabo itaque locum & Eislerum Wolcherstorfium accedam , ut videam num has animi mei turbati nubes inter sodales veteres dispellere queam.* Hæc ille , & orans uxorem meam , ut mihi ipsius nomine

valediceret; se die Julii XV. Wolcherstorfum ad Eislerum confert: Is dies in Sabbathum incidit, cum postridie encænia oppiduli celebrarentur. Eodem venerant affines & amici quidam *Joannis Jacobi*, & *Joannis Ludovici HUTTERORUM* fratrum germanorum, quorum pater ex Satellite Cæsaris paupere ad Xenodochii Cæsarei præfecturam evectus repente ex usu facultatum, quibus pauperes aluntur, dives factus, & proventus Wolcherstorfiani agri probe cognitos habens (nam arx & oppidulum cum Jurisdictione, aut potius ejus proventus & fructus a Cæsare Ferdinando Xenodochio donati sunt; sed hi redimuntur una cum Jurisdictione ab iis qui plus offerunt pretii) Jurisdictionem cum fructu & proventu certa quadam pecuniæ summa redemit, & se a sordibus pauperum ad domini splendorem contulit, & ex rusticorum sudore atque ex innocentum divexatione dives & locuples factus, agrorum, vinearum & pascuorum vim sibi comparavit, adhæc domum magnam & magnificam sibi ædificavit, ipsique sibi nobilitatis libertatisque privilegia ab Imperatore impetravit. Tandem is duobus relictis filiis, totidemque filiabus fatis concessit: Uxor, horum liberorum mater, stupris inquinata & morbo Gallico (si quidem vulgi sermones veri sunt) infecta, & avaritia perdita, pecuniam quam ad 12000. florenos ejus maritus mutuo dederat, ut interim pro usura Jurisdictione illa frueretur, sed nihilominus certum vini & frumenti mensurarum numerum Xenodochii pauperibus advehi curaret, ab hoc Cæsare repetiit: vel quod existimaret neminem futurum qui ipsi succedere vellet, eamque pecuniam Cæsari pro Jurisdictione obtinenda refunde.

funderet , & sic ipsa viliori pretio dominium obtineret : vel quod pecunia præfenti frui & in otio vivere mallet. Sed paullo poſt prodidit ſe morbus : *Eislerus* enim ab amicis adjutus plus pecuniæ Cæſari , & plus vini atque frumenti Xenodochio promiſit , atque arcis oppidulique Jurisdictionem & uſum fructum contra avaræ vetulæ ſpem obtinuit. Ab eo tempore inter *Eislerianos* & *Hutteros* eorumque familias odii , invidiæ , irarumque initia exardeſcere cœperunt , & ſimultates ali , & convitia hinc inde iactari ; donec in eam , quæ **HADRIANUM** inſontem quoque involvit , calamitatem res eruperit. *Eislerus* non pares , *Hutteri* non ſuperiorem ferre potuerunt , & feroces animo Juvenes *Eisleri* paupertatem cum ignobilitate conjunctam inſolenter contemferunt. Hiſce irarum ſimultatumque cauſſis cognitis propius ad rem accedamus , videamusque quæ miſerandæ Tragediæ catastrophe evaſerit.

Proceſſerat *Eislerus* cum ſuis (in quibus quoque **HADRIANUS** erat & *Laurentius* , *Jo. Eisleri* filius , tribus hebdomadibus ante ex Galliis domum reverſus , optimæ ſane ſpei adoleſcens , doctus etiam & modeſtus) proceſſerat , inquam , ex arce , veſperi ſub horam nonam in extremam oppiduli partem , circumſpectans , num quid turbarum inter ruſticos & alienigenas mercatores , qui complures huc confluxerant , oriretur : ſolet enim hoc non raro tali tempore fieri. Et ſimul amicum quendam ſuum in extremo oppidulo habitantem inviſit , apud quem cum paululum commoratus eſſet , domum cum ſuis reverſurus , in medio itinere ab *Hutterianis* ex fenestris ædium ſuarum pro-

spectantibus ridetur , & sannis excipitur : quam rem indigne ferens *Laurentius* filius rogat , ecquid sibi insolentes illi mores vellent ? Illi contra hunc meretricis filium vocitantes convicia conviciis cumularunt , donec impatiens contumeliæ *Laurentius* illorum aliquem ad pugnam provocarit. Illi mox quotquot erant , hastas , fistulas æneas , similiaque tormenta corripere , tumultuari , ad portam catervatim proruere cœperunt. Ibi tum periculum videns *Eisleri Oeconomus* ipsum per omnia sacra obtestatur , ut se cum suis imminenti periculo subduceret , inimicos enim sclopeta plurima , ipsos contra nihil hujusmodi habere. Obtemperans *Eislerus* a porta inimicorum cum suis domum versus recedit ; cum Soror *Hutterorum* ipforum abitum videns : *En fugam capeffunt* , inquit , *nebulones* , *impetum nostrum expectare non audent*. Quæ audiens *Eislerus* , *Minime* , inquit , *sumus nebulones* , & quia nobis certaminis fugam exprobrant , *en stabimus* , & simul satellitium suum , quod 10. aut 12. rusticis armatis armatura hastili constabat , prope adstare in subsidium jussit. Hæc videns mater *Hutterorum* ira percita , *occurrite* , inquit , *cædite* , *sternite* , *fundite* , *occidite scelestos*. Tum filii in primo agmine cum suis affinibus furentes (nam *Joannes Jacobus Hutterus* , filius natu major nuper uxorem nobilem , sed pauperem ex *Francia* domum duxerat , & adhuc fratres uxoris secum habebat) hi , inquam , primi arma inferre & furere in *Eislerianos* cœperunt , quos cætera turba sequens , sclopetis , ensibus & sudibus tantum impetum fecerunt , ut satellitium illud rusticum glandes plumbeas ab adversariis emissas timens , & hos secuta pleraque *Eisleri familia* in fugam

gam profusam fuerit versa. Pugnatores tantum tres resisterunt, *Laurentius*, *HADRIANUS*, & Liberorum Eisleri præceptor. Ex his dum Laurentius cum adversario uno atque altero dimicat, globo a tertio trajicitur. Ictus patrem obsecrat inermem, ut secum fugiat, se vulnere lethali esse confectum: fugit ille cum filio, sed supra caput fugientis a tergo imminet ensis *Joannis Ludovici* latus & ponderosus atque acutus, quo dissectum Eisleri cerebrum fuisset, nisi a filiorum suorum præceptore, qui itidem fugiens Dominum sequebatur, ictus fuisset excussus & declinatus, atque ipse latro ictum intentans ab eodem præceptore in pollice fuisset vulneratus. Is itaque se non tantum spe sua frustratum (nam Eisleri necem unice appetebat) verum etiam faucium sentiens furore percitus *HADRIANUM*, qui interim etiam infeliciter pugnans ensen suum prope capulum fractum habebat, & retrocedens atque in lapidem impingens, resupinus humi jacebat, scelerato ausu adoritur, & eadem illa ponderosa machæra, qua Eislerum petierat, *HADRIANI*, proch dolor! mediam frontem usque ad verticem capitis difsecat. Quo facinore patrato insana illa turba domum suam se recepit. *HADRIANUS* tam horrendo vulnere faucius, cum cerebrum quoque esset turbatum, & ut quidam putant læsum, solus per oppidulum veluti amens huc illuc oberrabat, vociferans, incolis perfidiam in Dominum suum commissam exprobrans, simul opem ad vindicandos latrones implorans: Sed frustra, nullus prodiit, nemo in viis conspectus, quisque metu se domi continuit. Tandem accesserunt duo, quibus notus erat, verbis illum demulcere cupientes,

tes , sed cum ipse eos non novisset , hostes esse existimans , uni eorum colaphi ictum tam vehementem infert ut humi prosterneret. Ab his igitur etiam desertus , & in quartam usque horam oberrans , & se crucians cum vires deficerent , & cerebrum per vulnus frigeret , ante arcem humi provolutus ab Eislerianis , qui mortuo jam Laurentio , HADRIANUM quærebant , ipso pœne eodem in loco , in quo Laurentius ex ictu labascens affederat , apprehenditur , & domum portatur , eadem fere insania æstuans , donec vulnus unguento delibutum , calore fotum & obligatum esset : Tum enim ad se rediens , piissime Deum precatus est , & circumstantes allocutus , multa pio & prudente homine digna protulit , lacrimasque cuivis excitavit. *Eislerum* quoque videns , *en* , inquit , *Eislere jam merito prædicare potes , te tam fidum in homine Helvetico habuisse ministrum , qui vitam & sanguinem suum pro tuo honore & salute vindicanda profuderit.* Laurentius itidem fassus est se pro patre libenter mori. Ambo infelices isti Juvenes , qui uno in loco pugnaverant , uno in loco animo & corporis viribus deficiebant , uno quoque in loco atque adeo in eodem tumultu Wolcherstorffii quiescunt. Carmen quoddam Poeta quidam elegans in eorum obitum composuit. Id ego cum quadam mea Oratione funebri , si modo Magistratus æditionem permiserit , excudendum curabo. Justitia hic languet , & tutiores sunt improbi quam innocentes. Et nihil fit , nisi excitentur & ne sic quidem interdum Judices manent incorrupti. Mihi ad rem pertinere videtur , si civitas Tigurina de hac indigna morte vindicanda ad Cæsa-

Cæsarem , & simul ad Archiducem (†) Ernestum literas dederit , ne solitudo fratris SAMUELIS & peregrinitas causſæ defensionis fraudi sit. Nam intelligo olim civitatem vestram isthic de quodam fonte

(†) Ex hic publicarum Civitatis Thuricensis ad Archiducem Austriae Litterarum exemplum ;

E. E. Oberkeit L. Statt Zürich Missiv an den Durchleuchtigsten , Hochgebohrnen Fürsten und Herren H. Ernsten , Erzherzogen zu Oesterich , und derselben unter Oesterichischen Landen Statthalter &c. wegen des ermordeten Adrian Friesen &c.

Durchleuchtigster , Hochgebohrner Fürst , Gnädiger Herr : Euer Fürstl. Durchleuchtigkeit sygen unser willig Dienst , mit Erbietung aller Eeren zuvor : Gnädigster Herr. Wir werden glaubhaft berichtet , dass vvyland des Erwürdigen und wolgelerten Herren Johannsen Friesen seligen unsers lieben Burgers eelyblicher Sone Adrian Frieß , kurz abgelauffner Zyt , als derselbig mit synem alten Herren Johannsen Isleren zu Wolkenstorff gewesen , und in aller Fründschafft für einer Wittfrauen Huß , die Hüttertschin genennt , kommen , syge er Frieß , von derselben Sönen und Mithafften , unerwolgt einiches Anlasses , jämmerlich und unredlichen erschlagen worden : An welchem leidigen Fall zwaren nit allein syne alte betagte Mutter , sondern auch wir ein herzlich Beduren entpfangen und tragend , in Ansehung wir bemäldten Adrian Friesen seligen , eben mit großem Costen erhalten und dahin gebracht , dass er jetzt nun meer unsern Schulen und gmeiner unser Statt Dienst-
sten ,

fonte ad requisitionem Imperatoris Maximiliani
supplicium sumplisse. Hoc meum V. C. est Ju-
dicium

sten , mit Nuz vorstaan hette können und mögen : Nun
werend syne geliebten Brüdern , soliche an Irem Brü-
der seligen unredliche begangene That , mit rechtlicher
Beclagung ze prosequieren wol bedacht. Dieuvyl aber
die Sach Inen gar entlegen , und wir und sy zu V.
F. D. als der Enden yeziger Zyt Key. Mt. unsers al-
lergnedigsten Herren Statthalter , der getrösten Hoffnung
und Zuversicht sind , dieselbige werde ohne Ir der Fries-
sen rechtliche fürende Klag sonsten vs Hochheit und tra-
genden Ampts gebürende Inquisition über die Handlung
halten , volgend nach schweere der Thadt die Justitia
gegen den Schuldigen und Thetteren gestrax ergaan las-
sen ; So bitten V. F. D. vvir hiemit von syn Adrian
Frießen seligen Brüdern wegen , höchstes Fleisses , die-
selbige vvelle gnedige Verordnung zu thünd unbeschwert
syn , daß hierunter nach aller Nottdurfft gehandelt vver-
de , Innmassen mængklicher gespüren möge , daß er
Adrian Frieß selig hienebent umb seiner geflyssenen Dien-
sten , so derselbig (vwie vvir von synen Brüdern versten-
digt synd :) Key. Mt. Libery Vervualtern Herren D.
Hugo Blotio bevvisen , denocht nach seines Lebens
mutvilliger und unverschulter Beraubung gerochen ,
und den Theteren umm Ir übel und Misthun Ir
vvolverdienter Lon vviderfare ; Daran beschicht die
Billichkeit , vvelches umb V. Fr. D. vvir unsserer Bur-
geren der Frießen halber als guter eerlicher Lütten In
aller Gutvilligkeit zu verdienen uns Jederzytt nit spa-
ren , V. F. D. hierby Göttlichen Schirm befelchende

Dat. d. 16. Septembris Anno 81.

E. Fr. Dl. Gutvillige

Burgermeister und Rath der Statt Zürich.

dicium , de quo tamen liberum erit tibi judicare.
 Ignosces autem occupationibus meis hanc tam in-
 conditam scriptionem. Vale V. C. Viennæ Au-
 striæ Prid. Kal. Augusti. 1581.

Tui studiosissimus

HUGO BLOTIUS D.
 Augustæ Bibliothecæ Præfectus.

